



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Obligatio celebrandi Missam de feria privilegiata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

Obligatio celebrandi Missam de feria privilegiata.

6. Missam solemnem de feria privilegiata (quales duntaxat sunt omnes ferie Quadragesimae, Quatuor temporum, Rogationum, & Vigilantium) in praedictis Ecclesiis Collegiatis omitti non posse, sed occurrente etiam alio festo, canendam post Nonam declaravit Sacra Congregatio apud Tambur. *de jur. Abb. de 5. quasto* 10. n. 37. & March. *de ord. tr. 3. p. 2. c. 30. num. 7.* Queritur ergo Primo, An si id non fiat, mortaliter peccetur a Rectoribus Ecclesiarum. Secundo, An ad id teneantur, Ecclesiae Regularium choro addictorum.

Ad Primum quaestionem, Dico, non peccari mortaliter. Ratio est modo n. 4. dicta quia non manifeste constat de tam rigoroso praecipio.

Contra docet Verricelli, *tr. 8. q. mor. 30.* sed mihi ejus rationes efficaces nequaquam videntur.

7. At timenda est Primo dicta declaratio Sacrae Congregationis. Secundo Rubrica Missalis id disponens. Respondendo ad Primum. De tali declaratione non constat authenticè. Ad Secundum. Rubrica has duas Missas, nempe *currentis Festi, & feria privilegiata*, injungit praecipuum (ut alia interim taceam) non denotat, ait enim, *Canantur*, seu *dicuntur* *duae Missae*; Quae, Non sunt verba imperativa. Immo etiam si diceret, *Canentur*, non statim probaretur praecipuum fuisse mortali, nam verba imperativa ex Castro. *tom. 1. de leg. de. 1. p. 9.* non semper praecipuum grave important.

8. Ad Secundam quaestionem, negant aliqui cum Rosta. *1. q. Reg. 43. art. 12.* Peyrin. *1. 3. in Add. c. 1. n. 19.* Ecclesias Regularium dictas teneri, etiam si teneantur aliae Collegiatae, quia putant horum Ecclesias non esse Collegiatas. Affirmant aliqui, cum Portel. *in Dub. Reg. 7. Missa. n. 7.* quia è contra censent verè Collegiatas esse. Utinamque probabile.

9. Ex eo autem, quod probabiliter ejusmodi Ecclesiae Regularium non sint Collegiatae sequitur nec teneri ad celebrandum quotidie, saltem, unam Missam privatam, quantum est ex hoc capite, neque ad Missam Conventualem. Ita Victoria *in Summa de Euch. n. 49.* Adde, & ea, quae de Collegiatis in universum dicta sunt n. 3.

§ 11. Quando licet plures Missas eodem die, celebrare.

1. **A**pod antiquiores invenio casus omnino novem in quibus pluries, eodem die, celebrare fas est, leg. Coninch. *d. 3. de Euch. art. 1. d. 3. n. 213.*

Primo in Natali Domini, & quidem ter, Valentiae, die secundo Novembris, bis celebrant, ex indulto Pontificis. Ita Delogo *de Euch. d. 20. sec. 1. n. 43. fine.*

Secundo quando quis praestitit duabus Ecclesiis, & n. bis, in die sacrificet, sacro caret alterutra. Idem esset ex Fagund. *1. Eccl. praecip. lib. 3. cap. 16. n. 5.* ubi rari sunt admodum Sacerdotes, ut in Anglia, Hibernia, & nonnullis partibus Germaniae, & in Indiis adde, & Tunensi, & in tota Africa, & in regionibus quibuscunque infidelium, in simili necessitate Christianorum ibi fortè degentium) quilibet enim Sacerdos, quamvis non sit Patrocinus, poterit ibi requirente necessitate, pluries celebrare in die, etiam nulla petita licentia ab Episcopo, forte ibi, praesente vel vicino; quia ubi jus commune de consensu, de celebr. Missae facultatem concedit, ab alio expectanda nequaquam est.

Aque id intelligi etiam in diebus non festis, si adfuerint, qui sacro velint interesse, rectè probat contra Nunum Delogo *resp. mor. d. 12.*

Tertio, quando aliis infirmis decederet sine viatico. Quarto, quando facto sacro, supervenit Episcopus vel princeps volens etiam die non festivo, interesse sacro, nec sit alius, qui celebrare possit.

Quinto, si die festivo superveniat multitudo Peregrinorum celebrato jam sacro. Hoc reducitur ille casus, quando in dedicatione Ecclesiae, propter multitudinem populi, magna ejus pars, nisi quis, iterum celebraret, sine sacro remaneret.

Part. II.

Sexto, quando celebrata jam Missa, superveniret defunctus sepeliendus, in eo loco, ubi defuncti sine Missa peliti non solent.

Septimo; quando, eodem die, occurrunt duae Missae celebrande altera de festo, v.g. altera de feria privilegiata, & unus tantum adest Sacerdos.

Octavo, quando Missa esset necessaria, ad benedicendas nuptias.

Nono, quando aliqua alia necessitas iudicio prudentis iteratam, ejusdem Sacerdotis Missam expolceret.

2. Hi novem casus, ut dicebam, assignantur ab antiquis, qui tamen universi à Recentioribus, Coninch. *loc. cit. Fagund. loc. cit. cap. 16. Suar. de Sacr. d. 80. sec. 3.* Alique Vazq. *de Sacr. d. 23. c. 5. n. 50.* merito, non admittuntur. Dico igitur solum tres primos casus esse approbandos. Ratio praecipua est, quia in aliis casibus nulla sufficiens necessitas apparet: Ille enim Episcopus, vel multitudo, vel sponsus, vel duplex Missa currens non afferunt obligationem ad Missam, quando haec haberi non potest, vel debito modo celebrari non valet. Adde jam ipsam Ecclesiarum omnium consuetudinem, nunc ostendere, non nisi tres casus priores necessitatem, seu facultatem sufficientem ad plures Missas, afferre. Imo Vasquez *loc. cit.* solus duos primos casus approbans, non admittit tertium, quia non putat esse tantum necessitatem infirmo dare Viaticum, ut vincat praecipuum de celebrando semel in die, sed, certe probabile etiam iudicio, quod vincat.

3. Porro, duo sunt notanda. Primo haec intelligenda esse, dummodo Sacerdos iterum celebraturus sit jejunos: Ita iidem, & passim. Doctores: quare debuit is non fuisse purificationem, & ablutioem, si iterum in praedictis casibus sacrificare velit.

Ex quo colligunt nonnulli, casum illum tertium de infirmo alias sine viatico morituro, nisi quis iterum, eodem die, sacrificet esse casum metaphysicum. Nam si Sacerdos novit mortem imminentem infirmo, poterit, immo debet reservare de sua Hostia, qua infirmum communicet, si aliunde alia hostia non suppetat: Ita in nostro opusculo de Communionis expedienda, c. 6. §. 6. si verò non novit, jam sumet ablutioem solitam, & sic non erit jejunos, ut possit iterum celebrare. Solum igitur casus habebit locum, si fortè Sacerdos sciat infirmi necessitatem in illo temporis momento, accepto Calice, ante ablutioem, qui certè, ut dictum est, erit casus metaphysicus, & rarissimus.

Di. o tamen, non ita esse, sunt enim duae sententiae, de quibus diximus *ibid. c. 2. §. 8. n. 32.* quarum altera docet, non licere non jejunos celebrare, ad dandum viaticum, & in hac sententia fateor casum esse metaphysicum. Altera docet licere, & tunc poterit Casus facile contingere: cognita enim moribundi necessitate etiam post ablutioem assumptam poterit Sacerdos, secundum hanc opinionem, quae certè probabilis est, iterum celebrare.

4. Secundo notandum est sicuti bis celebrare in praedictis necessitatibus id indulgetur, ita pluries; si sufficiens, ad plures Missas, necessitas adsit. Ita Coninch. *de Eucharisti. q. 83. artic. 2. dub. 3. num. 214. fine.* Ratio est, quia si necessitas dat facultatem ad secundam, tur si talis necessitas non dabit ad tertiam, & sic deinceps?

5. Fagundez, *1. Ecc. praecip. lib. 3. c. 16. num. 5.* contra hanc Doctrinam sic habet: Sacerdos bis, requirente necessitate, celebrare in die poterit non pluries, quia Ius in cap. Consuluit, de Celebratione Missarum solum bis in die concedit, in necessitate celebrare jejunis. Haec Fagundez qui, certè nescio, unde pro se potuit talem textum afferre. Ecce integrum Capitulum, quod est Innocentij III. c. Consuluit, & infra. Respondemus, quod, excepto die Nativitatis Dominica, nisi causa necessitatis suadeat sufficit Sacerdoti semel in die unam Missam solummodo celebrare. Haec, & nihil praeterea textus.

6. Petes. In nocte Natalis, potestne Sacerdos, semel communicare extra Missam, & deinde celebrare alias

K 3 duas